

Quinam sunt characteres - inquit Harnack (1) - quibus Romana Ecclesia praedita est? Latinorum genus romanique imperii universalitas, praeter multa alia, perdurant in ea. Saeculo quinto cum romanum imperium, tum propter intimas causas, tum propter barbarorum invasiones dissolvebatur, Romanus Episcopus, uti praeteriti defensor atque futuri custos apparuit. Homines qui saeculo quinto in romana cathedra regnaverunt, circumstantiis saeculi apprime instructi fuere, eisdemque circumstantiis in propriam utilitatem usi sunt. Romana Ecclesia, loco romani imperii clam successit, romanumque imperium in ea perduravit, Ipsa continuo populos regit, eiusque Pontifices, Traiani ac Marci Aurelii more modoque regnant. Loco Romuli et Remi Petrus et Paulus habentur; loco Consulis ac Proconsulis, episcopus et archiepiscopus est, legionum loco monachi et presbyteri, loco imperatoriae cohortis Societas Iesu habetur. Romana Ecclesia, nonnisi quaedam artis politicae creatio est; cum sit perduratio imperii romani; Pontifex qui simul Rex, et « Pontifex maximus » vocatur, est Caesaris imperatoris successor. Cum Romana Ecclesia genio Latinorum feratur iam a saeculo tertio instauratio quaedam romani imperii fuit.

Non aliter ipsem Loisy (2) a quo propositio 56^a desumpta est. Certum est - scribit ille - Iesum Christum de Ecclesiae constitutione, quasi de gubernio quodam in terra instituto atque longa saeculorum serie ad permanendum in aeternum destinato, nunquam cogitasse... Si Romana Ecclesia Imperatoris mores adhibuit, si primatui formas legales et quasi constitutionales tribuit, haec omnia a motu quodam universali repetenda sunt, a quo motu Ecclesia ab initio ad formam cuiusdam gubernii accipienda coacta est. Per textuum criticam neque ad Romani Pontificatus divinam institutionem probandam, neque ad illius exercitii legitimas conditiones ostendendas valemus. Propter temporis circumstantiarumque necessitates, Romana Ecclesia, ad instar imperii, quasi ad instar exercitus qui a capite mandata recepit, eaque absque ulla discussione cogitur exequi, organizationem consequuta est.

* * *

Ex factis, atque ex recentiorum historicorum auctoritate ostendendo S. Petrum Romanam venisse, ibique diem obiisse supremum, praedictorum errorum critica instituitur.

(1) *Das Wesen d. Christentums 14 Vorlesung.*

(2) Cf. *L'Évangile et l'Église* iv, v. *Autour d'un petit livre* v, iv, v. Cf. etiam *L'Évangile et l'Église* p. 141, 143, 144: *Simples Réflexions* p. 103: « C'est incontestablement à son rang de capitale que Rome dut d'attirer à elle les deux personnages les plus importants de l'Église apostolique » et « que la position centrale de Rome après avoir amené les apôtres dans cette ville, a mis son évêque à même d'exercer une influence que nul autre n'aurait pu avoir dans un autre endroit. Parlant en historien j'ignore les dispositions de la Providence. Mais j'ai eu soin d'observer que, si Pierre et Paul lorsqu'ils moururent... ne se doutaient pas qu'ils eussent légué un maître à César, ni même qu'ils eussent donné un chef à l'Église, ils voyaient dans Rome et l'Église romaine le centre providentiel de l'évangélisation chrétienne. L'historien ne peut rien dire de plus, s'il veut rester dans les limites de la probabilité ».

a) Ex factis. — Post saeculi secundi dimidium habetur I) existentia universalis traditionis penes maioris momenti scriptores, ita ut de S. Petri martyrio in romana Urbe tamquam de re cognita fiat sermo, scriptaque exstant. Ita Dionysius Corinthiorum episcopus, ita S. Irenaeus, Clemens, Origenes, Tertullianus. (1) II) Eusebius (*Hist. Eccl.* 1, 2, c. 25) refert nobis Caium romanum hisce verbis de Petri et Pauli sepulchris loquutum fuisse: « Ego vero Apostolorum tropaea eorum possum ostendere. Nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi tropaea eorum qui Ecclesiam illam fundarunt ». III) Saeculo tertio Romani Pontifices, nemine contradicente, assertunt se esse Romae Petri successores iisdemque iuribus pollere. IV) Dum inter ecclesiam romanam et orientalem controversiae innumerae ortae sunt, nulla controversia oritur circa Romanorum Pontificum successionem in cathedram Petri. Modo ius non habemus, tot scriptores de errore vel de falso accusandi. Facta recensita, quamvis, solitarie accepta, possint pro quibusdam vi demonstrativa carere; confuncta tamen auctoritatibus allatis, probant vere S. Petrum Romanam venisse, Romae diem obiisse supremum. Nonne rursus traditio habetur de adventu Marci cum Petro Romae, de Evangelio a Marco Romanorum rogatu conscripto, ac de prima epistola Petri, Romae pariter scripta? Confusio quaedam igitur est, ex maiori extensione accepta a Romanorum Pontificum auctoritate propter politicas conditio-nes, concludere: ex conditionibus illis politicis primum ortum fuisse. Primatus ille siquidem ex voluntate Christi est, maior vero eiusdem primatus explicatio atque extensio ex conditionibus externis dependere possunt.

b) Ex recentiorum historicorum auctoritate. — A. Harnack (*Patres Apostolici*, fasc. 1, p. 15): « Lis adhuc sub iudice non esset, nisi critici fabulis illis Pseudo-Clementis vel iudaizantium christianorum plus quam par est auctoritatis tribuerent » (2). Horatius Marucchi (*Intro. storica al Quo Vadis*, p. II): « Factum adventus Petri Romae (abstrahendo a quaestione chronologica) tantae evidentiae historicae est, talibus ac tot insignibus antiquitatis testimoniis corroboratur, ut hodie critici protestantes magis illuminati, illud tamquam certissimum retineant ». Ioannes Guiraud (*Questions d'histoire - La venue de S. Pierre à Rome*, in fine) haec habet: « Si factum aliquod datur, argumentis quae refutari nequeant comprobatum, est factum Apostolatus S. Petri in Urbe Romae. Fundatur in traditione constanti quae de generatione in generationem a saeculo quarto usque ad apostolicam aetatem nos dicit. Iam in secunda generatione christiana penes illustriores communitates

(1) Cf. argumentum Traditionis Eusebii Caes., S. Clementis, S. Ignatii M. 1. Epist. Petri, *Fel-Propaedeutica, Tract. de Ecclesia* a. 4 n. 36.

(2) In quadam recentiori sermone *Protestantismus und Katholizismus in Deutschland* (p. 24) clarius ait: « Flacius und die alten Protestanten leugneten überhaupt die Anwesenheit des Petrus in Rom.... Ietzt wissen wir, dass iene Anwesenheit eine gute bezeugte Tatsache ist ».

(Romae, Corinthi, Smyrnae, Antiochiae) ab Apostolis fundatas, quaeque speciali modo eorumdem memorias servabant, factum illud universaliter admittitur. Idipsum, diebus nostris habetur, penes melioris notae sapientes, paucis (*retardataires*) protestantibus ac veteribus catholiceis dubitantibus. Circa factum hoc traditiones nostrae consolidantur, ac nobis fas est nomine scientiae credere, Romanam Ecclesiam vere matrem et caput omnium Ecclesiarum esse, quia ab Apostolorum principe fundata atque morte illius consecrata fuit ».

Duchesne (*Histoire ancienne de l'Église*, chap. 5) scribit: « Post saeculi secundi dimidium universalis habetur traditio circa S. Petri mansionem in romana Urbe. Sufficiat enumerare Dionysium Corinthium pro Graecia, Irenaeum pro Gallia, Clementem et Origenem pro Alexandria, Tertullianum pro Africa. Circa a. CC, Caius est, qui Apostolorum sepulchrum Romae indicat. Iam a tertio saeculo, dum Pontifices Romani, nomine atque tamquam successores S. Petri loquuntur, nullibi titulus iste impugnatur. Statim ac Christianitas universa memoriam Apostolorum recolit, et eorumdem Apostolorum iura recognoscit, Romana ecclesia tamquam Petri Ecclesia retinetur, quod ibi Petrus mortuus sit, quod ibi sedem suam reliquerit. Quamvis rursus multae inter Orientem et Occidentem ortae sint controversiae, nunquam tamen, factum de sede Petri Romae, in dubium versum fuit ». Hodie, - inquit Paulus Allard (*Le Christianisme et l'empire romain*, 5^e ed., p. 17. n. 2) - critici omnes, nomine Babylonis in versiculo illo epistolae primae S. Petri romanam urbem intelligunt, quae ita designabatur in modo secreto loquendi Iudeorum et Christianorum: non vero civitas Chaldeae, quae primo saeculo, forsitan non exstabat amplius, et in qua Petrus nunquam praedicavit ».

Propter hoc miramur quod Gregorovius ausus sit scribere: « Historia nihil scit de praesentia Petri Romae... Fundatio communitatis Petro tributa, non nisi quaedam legenda est ».

Ex hucusque dictis, ius nobis est concludendi Romanum Pontificem iure divino esse Petri successorem in primatu supra Universalem Ecclesiam, ne non repetendi verba Tertulliani (*De Praescrip.*, 36) circa Romanam Ecclesiam: « Ista quam felix Ecclesia! cui totam doctrinam apostoli cum sanguine suo profuderunt; ubi Petrus passioni Dominicae adaequatur ».

Friburgi Helvetiorum.

P. REGINALDUS M. FEI O. P.

Omnia alia incerta sunt, caduca, mobilia; virtus est una altissimis defixa radicibus, quae nunquam ullā vi labefactari potest, nunquam dimoveri loco.

CIC., *Phil.*, IV, 6.

DE CONDICIONIBUS QUIBUS LATINAE DISCIPLINAE PERCEPTIO CONTINETUR⁽¹⁾

IV.

Venio nunc ad quartam institutionis latinae percipiendae condicionem, quae ex beneficiis inde speratis oritur; quae quidem condicio est ipsa crux, ut aiunt, totius quaestions. Quid enim aliud aut nos commendamus aut discipuli quaerunt, nisi utile? Utilitas autem disciplinarum scholasticarum et varias interpretationes accipere solet, et generaliter in duas omnino partes vel classes (sive hae simul existunt sive seorsum) dividi potest. Qua de re universim ac paulo fusius disputare placet.

Ipsa videlicet natura rerum sive communis vitae humanae condicio universis hominibus et necessitatem imposuit officiorum alienorum, et pari ratione imperat ut aliis officia praestare velint. Neque quidem bene moratis tantum religionis cultoribus haec obligatio relinquit agnoscenda, verum ex omnium ac singulorum ortu ad supremum usque diem (ne de pietatis erga defunctos officiis verbum faciam) vim suam constanter exercet. Quod si quis quaerat quoniam modo et quatenus homo homini prodesse debeat, illud respondere in promptu est, *ita ut victum sibi comparet*. Namque etiamsi non pauca sunt vitae communis officia, quibus pecuniae sordida remuneratio nequaquam exaequetur, tamen est pecunia norma quaedam ac mensura laboris, ideoque, dum de necessitatibus cottidianis agitur, quaecumque officia sive munera praebent unde vivamus, haec rite et sufficienter aliis prodesse existimanda sunt. Sacerdotes et pastores, medici et pharmacopolei, iudices et iurisconsulti, mercatores et mensarii, agricultae et opifices, nautae et milites, custodes et vigiles, scriptores et poetae, cantores et histriones, mimi quoque et ventilatores, immo (ne quem exclusisse videar) ipsi carnifex de suis in societatem humanam meritis bene sentire possunt.

Haec quum ita sint, sequitur ut in institutione puerili id ante omnia provideatur, ut ad aliquam certam artem qua victus comparetur unusquisque erudiatur. Quaelibet disciplina ad hanc rem maxime necessaria videbitur, principatum studiorum merito obtinebit. Non modo voluptates posthabendae sunt, sed studia optima signa huic principali consilio adversatura esse videbuntur.

Tamen ne illud quidem obliviscendum est quod nulla prorsus arte vel occupatione totus homo expletur, eoque verius hoc nostro saeculo dicitur quoniam crescit in dies occupationum numerus atque minuantur singulorum hominum partes. Quamobrem adversum et contrarium illis disciplinis quae ad vivendi subsidia pertinent, quaeque studia puerilia in unum quasi punctum

(1) Cfr. num. sup.

cogunt, etiam aliud institutionis existit genus, quod praecavere studet ne nimis angustus vitae cursus fiat. In utro igitur genere latina studia ponimus? Non est una eademque pro omnibus responsio. Aliis quidem proderunt latina in artibus unde vivitur; aliis umbratilem quandam animi culturam adferent; nonnullis vero utrumque commodorum genus praebebunt. Sed haec quoque satis sunt.

V.

Nunc ad praecepta docendi venio, quae ex his quas demonstravi condicionibus proficiuntur. Quae dum expono, peto ut ignorentur mihi sicubi vel iterasse iam scripta videbor, vel mutasse. Etenim revera nihil mutavi; verum tamen paullo aliter sententias meas, experientia duce, exponere didici. Pono autem octo praecepta generalia sive axiomata.

Primum praeceptum meum idem permanet quod semper: *copiam rerum appetendam esse*. Sunt equidem qui in latinis studiis nihil aliud videant nisi meram animi exercitationem et quantitatem rei qualitatem longe anteponendam esse clament. At neque tota utilitas rei latinae in sola intellectus exercitatione consistit, neque opponenda copia curae est. Immo vero, si intra angustiores fines versabitur industria docentis, carebunt pueri non paucis intellectus vere exercendi instrumentis. Scilicet fieri potest ut ipsa quantitas rei qualitatis rationem habeat. Exempli gratia, si quis in uno libro Caesaris omnem industriam suam collocabit, qui poterit locos cum locis conferre? At, inquit, nonne sapienter praecepit Quintilianus ut *multum, non multa legamus?* Sapienter sane; sed quid tandem est istud « *multum legere* »? Credo, scriptum aliquod excellentius animo comprehendere. Quis autem comprehendat sine scientia? Qualis autem scientia ista est quae nec perspicere, nec prospicere, nec circumspicere valet? Non est metuendum ne id abundet quod ne sufficiat quidem?

Proximo autumno quum in Universitate Chicaginensi litteris latinis et graecis operam darem, coetui cuidam vespertino adfui, in quo de praeparatoriarum scholarum curriculis latinis agebatur. Nemo non favebat litteris humanioribus; nemo non postulabat meliorem linguae latinae institutionem; nemo non cupiebat ut quocumque modo expediret, ea linguae latinae notitia traderetur, qua postea quivis ad universitatum studia venissent litteras latinas facile et commode legerent. Omnes tamen qui super hac re illic disputarunt, in eo unicum spem ponere videbantur ut, paucioribus vocabulis, dictionibus, regulisque traditis, certior firmiorque cetera scientia fieret. Quod contra, ut permittam mihi tantis viris contradicere, longe alia via ad commune propositum fert; amplianda erat rerum copia. At, inquit, ne hoc quidem efficitur quod tentatur. Recte: aliqua pars e memoria excidat necesse est. Sed quo plus traditur, eo plus remanebit, detimento facto.

Notabilis liber nuperrime in lucem prodiit cuiusdam

praceptoris latini, qui dum supervacanea depellere conatur atque in necessariis solis elaborare, duo millia vocabulorum latinorum curiosissime selecta proponit, quae quadriennio scholarum superiorum sufficient. Hoc apparatu vocabulorum, eis scilicet interpretamentis, quae ipse designavit instructorum, illa incommoda unde laborat hodierna institutio latina emendari posse confidit. Sed, meo iudicio, erravit vir doctissimus; satius erat ad totius latinitatis thesauros pueros remitti, sicut mihi pueri (si licet narrare) olim contigit in schola superiori.

Ibi quidam ex condiscipulis meis lexicon latinum maioris formae discedens donavit. Ex illo tempore universum sermonem latinum ob oculos habere coepi et in una qualibet voce exploranda alias complures animadvertere et addiscere consuevi. Plus igitur huic unilibro quam omnibus magistris meis, primo duntaxat anno excepto, debere mihi videor.

(Continuabitur).

Chicagine, Nonis Augustis.

THEO. T. CHAVE.

DE RE LITTERARIA APUD SUBALPINOS⁽¹⁾

De poësi lyrica.

Quum primum Carolus Albertus rex cives ad rempublicam secum capessendam advocavit, et novus ab integro rerum ordo nasci visus est, omnes qui aliquo ingenio pollerent atque litteris, regni felicitatem auspicati, perpetuis fere laudibus principem in caelum ferebant, et populorum uberm prospexitatem praesagiebant. Tunc ex improviso magnus poetarum foetus in laudibus principis serendis visus est ad nos pervenire, qui aeternis in dies profusis cantibus, imperium cum libertate celebrarent, quod regis cura in hoc praesertim versarentur, ut liberalissimis studiis atque optimis doctrinis civitatem excolerent.

Primus nobis obvius est **Dominicus Capellina** domo Vercellis, qui ex provincialium ephebeo exiit, in quo lectissimi adolescentes tuto et sine offensione publice alerentur. Hic, in ipso iuventutis flore, magnum de se, de ingenii celeritate atque studiorum cultu, fiduciam suis attulit. Namque acerrimo a natura donatus ingenio, ex ipsis athenaei claustris, in medios reipublicae litterariae fluctus passus abripi, omnibus admirantibus, ex discipulo magister subito evasit. Non ei tamen mens in bellis pingendis, quibus patres atque aequales intererant, non in tumultuosis rerum eversionibus, vel urbium

(1) Cfr. an. XIII, n. IV.

vel populorum contentionibus, sed in artibus man-
suetoribus exponendis, quibus puerorum virtus
excoli solet, litterarum studium commendat, quibus
omnis res subalpina optime cuique maxime pro-
batur. Adsidius Subalpinorum morum cultor ex
patriis rebus atque ex ingenio suo romuleam plane
vim, et splendidam hausit brevitatem, atque in
gravioribus argumentis poetarum clarissimorum
magnificentiam feliciter compensavit. Suos quoque
versiculos, ex patrio fonte depromptos, egregius eius
aetatis musices doctor, commodius aptiusque cum
artis suae notis mirifice aptabat. Hinc passim scho-
larum nostrarum alumni, vel animi causa nullaque
prorsus difficultate, ad amorem erga litteras, et ad
pietatem in patriam fovendam mirum in modum
excitabantur.

Suppari aetate, eiusdemque doctrinae discipulus
fuit **Joseph Bertoldi**, qui cum ipso gloriam littera-
rum promeruit et decus. In primis imo vel unice
in omnium laudem ferebatur ob carmen Carolo
Alberto dicatum, atque ita Italorum animos per-
vasit, ut ab Alpibus ad Siciliam, per vicos, per
compita et per angiportus nil dulcius exaudiretur,
nil aptius nilque commodius ad patriam colendam.
Omnes in novum rerum patriarcharum vatem respi-
ciunt, eumque recentem Italiae Tyrtaeum salutant,
qui suis carminibus animos in martia bella
exacuit; eiusque verba pueri alacres repetunt, ea
iuvenes ingeminant, ea denique vel milites qui
hostilibus animis ad hostes progrediuntur. Sed dum
magnum iam de se non spem sed fiduciam adfert,
novis tot honoribus poene obrutus, ad altiora vo-
catus, munera vero publica adgressus, omnia asper-
natus, ibi totus diu multumque permanxit.

Semel atque iterum, quoad vita ei suppeditavit,
in publico cuiusdam potissimum viri clarissimi
funere, ad musas excolendas feliciter tantummodo
rediens, carmen condidit, in quo mens divina ve-
luti vena pollens interdum fulgebat.

Sicque timor sui primum, mors demum omnium
spem intercepit.

Paullo ante vixit **Joseph Regaldi**, domo Novaria.
Etiamtum puer iamque iurisprudentiae laurea in
Archigymnasio taurinensi donatus, ingenio fervidus
atque levi cuiusdam gloriola raptus, per totam
Europam carmina ex improviso fundens perag-
avit. Mox saeculo indulgens in Orientem perrexit,
ubi patriam carminibus omni arrepta occasione
honestare consuevit. In patriam tandem senescens
reversus, carmina, quae maioribus ingenii lumini-
bus splendescerent, in unum volumen coegit atque
in vulgus edere placuit. Legentium etiam nunc ma-

nibus teritur inter cetera carmen variis modis con-
scriptum, cui est titulus: *La Dora*; nunc versibus
exaratum nunc soluta oratione; in quo enarrat
poeta quae apud celebre illud Subalpinorum flu-
men, saeculis evolventibus, ab Augusta Domo modo
feliciter, modo adverso marte acta fuerunt.

Hic unus inter poetas, qui ex tempore versus
componere consueverunt, adhuc animorum cum
voluptate legitur, eiusque memoria apud posteros
prorogatur. Namque eius carmina altioris poëseos
luminibus nitent, et legentium mentem exhilarant.
Ingeniosissimo enim viro, qui multas Europæ re-
giones atque Asiae sapientiae causa visitavit, vix
licebit locos ex intima quaestionum naturalium sub-
tilitate petitos, poëticis amoenitatibus exornavit.
Ex quo etiam latissime patet quanto christiana
sapientia ad poësim excolendam magis conferat,
quam illa philosophorum placita, quae potius quam
mortaliū mentem ad caelum erigant, humi de-
figere consueverunt.

Constantinus Nigra. — De hoc clarissimo viro
scripturus optimum factu reputo haec Horatii verba
in medium esse ferenda, eique aptissime compo-
nenda:

*Multos saepe viros nullis maioribus ortos,
Et vixisse probos amplis et honoribus auctos.*

Ipse enim humili loco natus, apud Salassos, in
villula, cui est nomen *Castelnuovo*, ad altissima
regni munera pervenit. Florenti adhuc aetate, li-
beraliter Augustae Taurinorum institutus, quem
egregiam iurisprudentiae operam daret, exarde-
scente bello adversus Austriacos, studiis intercep-
tis, ad arma multorum aequalium exempla secutus,
convolavit. Ubi strenue militavit et vulnere ad-
verso pectore honestatus, rediit. Identidem vero,
vel inter iurisprudentiae disciplinam, ad carmina
suopse ingenio ferebatur, atque ad ea potissimum
celebranda, quae probatissimo cuique viro prae-
clara viderentur. Eius carmina de exercitu Subal-
pino apud Novariam, carmina popularia, quae pas-
sim vel inter iocos tunicata plebs fundere con-
suevit, maxime laudantur iucundo sententiarum
candore atque in affectata illa stili simplicitate, qua-
fit, ut ex eius ingenio nullo prorsus labore fluxisse
videantur. In celebrandis domesticis factis tam pro-
priis coloribus usus est, ut a nullo homine sumi
potuerint.

Utinam vero ultimam operibus manum impo-
suisset! Sed multis rebus publicis abstractus, ra-
rius omnino, et horis modo subsecivis, quibus a
rebus gravioribus otium erat in amoeniores artes
incubuit.

Eius tamen nomen e communi oblivionis naufragio enatabit, et rebus publicis, quibus interfuerit, illustre, inter poetas componendum esse iudicabo. Ipse enim carmina haud spernenda, sive de penu suo depromta, sive de Graeco fonte, nunc Italico sermone nunc etiam Latino in vulgus edidit. Insurgit enim aliquando et plenus est iucunditatis et gratiae, et variis figuris et verbis felicissime audax.

Quoad vixit, orator regni apud complures exteriores gentes, plurimos doctos et principes viros amicitia devinctos tenuit, inter quos recensetur Napoleon III, Gallorum imperator. Devixa aestate, omnibus carus placidissime obiit.

SUBALPINUS.

IAM REDUNDAT HORREUM!

Fili Sion, exultate, et laetamini in Domino
Deo vestro, quia... descendere faciet ad
vos imbre matutinum et serotinum...
et implebuntur areae frumento.

(JOEL, II, 23-24).

*Arva (sidus vult), colone, scinde presso vomere,
Pingue sulcis crede semen, fisis occa iugera:
Qui serenti semen affert, ipse fruges Providus
Imbris laetas adauget, hisque ditat pauperem.*

*Stridet arbustis cicada, gryllus una constrepit;
Decidere culmo aristae... dona spectat horreum!*

*Tecta circum vix hirundo vere trinsat florido,
Ut loqueli sic perita turba runcis squalidam
Sarrit aeram, ne laboret messis... ut virgo Ceres
Turgidis undet papillis ad Favonii oscula.*

*Stridet arbustis cicada, gryllus una constrepit;
Decidere culmo aristae... vere pubet horreum!*

*Arva sole sub rubenti flava sterne falcibus
Eia! messor; quae parentis e sinu adsunt munera,
Nunc fluentes gratiosa fronte pendant guttulae:
Excita falcem retusam, sterne messes impiger.*

*Stridet arbustis cicada, gryllus una constrepit;
Decidere culmo aristae... iam paratur horreum!*

*Aureos, quos plastra vectant post bubulci aculeum,
Area aequata cylindro sparge, tritor, mergites;
Cantilena equos beante verberis vox urgeat;
Grana solvant laeta glumae diro apertae tribulo.*

*Stridet arbustis cicada, gryllus una constrepit;
Decidere culmo aristae... iam vigescit horreum!*

*Ventus afflat en! secundus: nunc acus tollat leve,
Quod tibi fruges det amplas, pala mensis Aeoli:
Uberes quot fundit Eos, ac Orion lacrymas,
Guttulas quot frons, tot alma mater offert munera.*

*Stridet arbustis cicada, gryllus una constrepit;
Decidere culmo aristae... iam repletur horreum!*

Frugibus plenos revinci reste, deduc sacculos:

Aream, quam pes terenti messe struxit ungula,

Flore splendidae puellae, iunctae ephebis ehodum!

Gaudii gemmisque amoris saltitando insigniant.

*Strepit arbustis cicada, gryllus una constrepit;
Decidere culmo aristae... iam redundat horreum!*

*Iam redundat... laude multa fer, colone, Providum;
Efferat gryllus, cicada; messis, horreum efferat!*

Romae, mense Augusto.

THOMAS VIGNAS S. P.

COLLOQUIA LATINA

De sacra Synaxi.

CURIO. — Auspicato quidem mihi obvenis, Atili carissime; fidensque ad me accedas, sollicitudinemque ex animo expellas omnem, eo quod in periculo, quod heri de christiana disciplinae institutionibus fecisti, primas habueris; unde scias te post hebdomadam sacra de altari primum libaturum.

ATILIUS. — O me beatum! quaenam me manet sors! quid enim maius usquam sperare possim? Properet quidem candidus ille dies, quo caelestium dapibus refici merear, et sic, adolescens adhuc, cum Christo coniungar, ut eius caro mea sit caro; sanguineque eius genae rubescant meae! Iamiam videor manibus eius capiti meo impositis oblectari, meque totum eiusdem amplexibus devincier, ut olim evenisse legimus Galilaeis puellis, qui a parentibus oblatis ad Christum singuli accedebant.

C. — Atili mi, sensus quidem, quos in animo concipis, bene de te portendunt, locutionesque tuae oppido me solantur; sed caveas, ne divinis libaminibus receptis, a talibus sensim incoptis desciscas, ut plurimum de adolescentulis fit, qui altiorum disciplinarum mox arrepto curriculo, recedunt....

A. — O mi pater, ne talia de me suspiceris; quonam modo ego Iesu mihi tam dulciter et mature occurrenti terga vertere possim! Nonne tu

aliquando dicebas tempus amantium tempus esse Dei? Attamen si mihi daretur etiam, ut Christi suave os tueri possim, manusque eius attractare, vel paulisper tantum indumenta eius osculari mihi concessum, ut Palaestinis pueris, quibus invideo nimis!

C. — Mysterium, adolescens mi, quod usque nunc, tanto studio te docere curavimus, prodigium quidem amoris, et sapientiae est: « *Christus in Eucharistia latens* », unde nihil habes, ut iuvenibus illis invideas - « *Christus sub signo abditus, et vere praesens* - *Caritas atque Fides mirabilis quodam nexu insimul coniunctae* », unde homo hac vita degens adhuc totque infirmitatibus obnoxius, fide non exuta divino frui consortio, divinisque complexibus propemodum implicari valeat. Quid potius cupere valeas?

A. — Quae tuis commentationibus tanto amore docuisti, mihi nova luce nunc clarescere videntur, imo in tanta mysterii caligine eiusmodi obiectum propius attingere et contemplari. Quanam ratione, cedo, potero per annos altius usque, usque assurgere tantis obvolutus impedimentis?

C. — Fidem atque humilitatem nunquam a latere tuo dissociari permittas; nec semel per diem meditari negligas ad quodnam fastigium Eucharistiae sacramenti causa, christianus quilibet ascendere pergit. En puerum, ut proxime te, sub vitae initium ad angelicas admittier dapes; illumque, quem homines parvi pendunt, nobiliori in sede, in templo nitere, unde caelestis convivii suavitatis eius pectus mulcere, quin et laetitiam insuetam in eius propinquos effundi... Quid dicam de piis fidelium cohortibus, qui summo mane, facibus in templo colluentibus per sacramentum Christo uniri consuescant, ut lacrymis quas hesterno die aerumnis confecti, forsan profuderunt, aliquantis per detersis, caelestis suavitatis sensibus se recreari sentiunt?

A. — Sinas, quaeso, ut et mihi de sacramento hoc aliquid edicere, pro parte quidem mea, liceat. Puerus tantillus eram; in matris gremio sistente memini me, non semel concentuum sacrorum suavitate delectari; colluentiumque luminum varietatem in templo mirari, et statis temporibus sacro silentio recreari. Conceptus cordi erant sed locutiones deerant; infans propemodum adhuc eram...

C. — Habes ut et unde maiora perspicias. Non longis sermonibus te defineam; accipe quae paucis tibi promam. Clamores populares in praesens excitantur, vulgusque passim in civitatum primores insurget, quod ipse parvi pendatur, egenique in fastidio habeantur. At, cedo, sacras ingrediari aedes; statimque spectabis cum nobili viro opibusque affluent humili loco natum, pannisque prope modum sordidis tectum, ad caeleste accedere convivium pari ritu, nec iure dissimili. Adest prodigium et alterum. Omnes morimur et sicut aqua dilabimur, aiebat foemina illa. Unumquemque quippe nostrum manet ultima dies! Aegroti oculos caligo quaedam occupat, adstantesque moestitia invadit. Quisnam morientem solari, eumque in spem erigere valeat? Ne desperes; en infirmi domus paupere supellectili non raro instructa, illico sacris lucescere facibus, non secus ac templum; Christi corpus solemni ritu per sacerdotem deferri, ut iamiam funebri lecto decumbens eo reficiatur, et ceu viatica daps illi praebeatur. Omnes genua flectere mystico velamine tecto Domino ingredienti; et sub ipsum funus, sive languidum, sive eiusdem propinquos caelestium gaudiorum praesagium quoddam afficere, ac solari! Sed sermocinationibus nostris finem imponamus. Quae diximus hucusque memoria serves, studeasque, ut cogitationibus hisce inhaerens sacram ad synaxim properare contendas illorum verborum veritatem ratus: Beati qui in ipso iuventutis flore ad nuptiarum agni vocati a sacris divinae Domus liminibus in posterum nunquam recesserunt!

Albii Intemelii.

CALLISTUS AMALBERTI A. U.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Mustelam habere.

Adagium a Diogeniano refertur, in eosque quadrat, quibus omnia sunt inauspicata, tamquam fatis ac diis iratis, ut aiunt. Olim enim creditum est hoc animal infastum iis qui haberent, domique alerent; ut non admodum dissideat ab illis: « *Equum habet Seianum* », et « *Aureum habet Tolosanum* ». Unde nunc etiam apud quasdam gentes infelix omen habetur, si, quum paratur venatio, mustelam quis nominet, cuius etiam occurus passim inauspicatus habetur.

S. PETRI PRIMATUS ET PRAEROGATIVAE

EX ARCHAEOLOGIAE TESTIMONIIS⁽¹⁾

Inter rationes, quas Luteriani et Calviniani adduxerunt ad suam a Romana Ecclesia secessionem quodammodo cohonestandam, haec fuit potissima, ut scilicet ad primaevam Fidei eset redeundum simplicitatem, a qua Romana Ecclesia prorsus descivisset. Interim vero Pontificis Maximi conciliorumque auctoritas ipsaque Ecclesiae probata traditio illis nulla: dogmata quae sibi placent, mutata persaepe eorum natura, ea retinent; cetera veluti abusus reiiciunt. Sacrorum exinde librorum testimonia, privatum iuxta uniuscuiusque iudicium docent accipienda, ac proinde quidquid sibi favere posse intelligunt, huic parceendum existimant; quae autem nullo possunt modo ad privatum sensum retorqueri, haec, tamquam interpolata, eliminanda esse pronuntiant.

Itaque, contra illos, nedum Petri potestas summa, ne auctoritas quidem Scripturarum sacrarum efficaciter plerumque afferri potest; utrumque enim respuunt criterium, ad historiam provocantes eamque iactantes se probatam habere dumtaxat.

Dicamus audacter: huic ad historiam provocationi, nos, catholici, parum inventi fuimus parati. Doctissimi cardinalis Baronii Annales aliorumque virorum eruditorum, maximeque Balmes philosophi, scripta complures certe dissiparunt errores; attamen adhuc propugnaculum quoddam viris Religioni nostrae infensis manserat, in quo fere invicti viderentur. Sic saeculo XVII, Iacobus Spon, vir antiquitatis suo quidem tempore peritissimus, catholicos archaeologos ut historice, per monumenta, nonnulla dogmata, verbi gratia purgatorii existentiam, seu precum pro mortuis efficaciam, antiquitus a Christianis fuisse admissa probarent provocabat; neque ullus fuit, qui tunc ac deinceps per longum tempus responderet; ita Christiana monumenta, licet ab immortali Bosio paulo ante illustrata, parum tamen perpensa atque examinata fuerant.

E contra, hodie, quot traditionis testimonia circa potissima catholicorum dogmata licet e monumentis colligere! Iacobi Spon provocationi quinquaginta circiter abhinc annis a doctissimo viro Edmundo Leblant, inter alios, apprime responsum fuit, nec quidquam illius difficultatis superest hodie nisi provocatoris audacia. Multo etiam ulterius in huiuscemodi probationis genere procedi posse, satis est nostris temporibus demonstratum; ipseque ego, De Rossi, Wilpert aliorumque archaeologorum huius aetatis vestigiis insistens, plura nec levia contra novatorum placita evincere potui. Prolixius vero est hue omnia adducere, quae e monumentis ad nostram Fidem confirmandam erui fas sit;

(1) Quod cl. auctor dissertationem, quam ad Vicensem conventum proxime habendum ad centenaria Iacobi Balmesii commemorationem celebrandam misit, nobis vulgandam ultra tradiderit, Vox Urbis grates habet ac refert.

obiter enim summatis nimis quaedam proponi debent, quae tamen haud breviter essent natura sua tractanda. Unum proinde eligam quod, ut par erit, evolvam, ac fortasse ita fuse, ut nunquam hueusque fuerit ab aliis dissertum: de *Primatu Beati Petri* dico.

Quanta haeretici contra S. Petri primatum, ut illum everterent, moliti sint, incredibile pene videtur; eorum tamen disiiciendis cavillationibus sermonisque circuitionibus haud immorabor. Unum animadvertis, eorum detortam capitum XVI Matthei interpretationem (1), iuxta quam nihil Petro a Christo Domino commisum fuit, quod simul ceteris apostolis aequo non fuerit tributum. Etenim, nihil quod Christus nomen Petri (*Cephas*) Simoni indiderit ipsi faciunt; nihil quod eidem fratres in fide confirmandi munus commiserit, nihil denique quod pascendi non solum agnos, sed et oves curam Petro, eique soli, Christus crediderit. Immo et Patrum plurima explicataque testimonia de Petri primatu aut spernunt, aut ad alienum retorquere sensum conantur.

Videamus igitur num revera Petrum ceteris parem apostolis monumenta archaeologica exhibeant. Haud profecto ad nostram Fidem confirmandam eiusmodi argumentum referre necesse est: clariora enim Scripturae verba sunt quam ut istud quidquam amplius demonstret. At adversariis non ita; quippe qui, si Scripturae verbis ac Patrum testimoniis parum auctoritatis tribuerint, nihilominus haud ita facile monumentorum eloquentiam vitare aut minuere poterunt.

I.

Petrus saepius quam alius quisquam, praeter Christum, in sculptilibus cernitur.

Humanae proprium est naturae, ut illud magis commemoretur quod, aut propter praestantiam, aut propter bonitatem ceteris rebus excellat, magisque cordi sit. Porro, si Christi Salvatoris personam excipias, nemo tam saepe in sculptilibus coemetalibus cernitur quam beati Petri persona.

Illi qui eiusmodi monumenta probe norunt, facile id mihi concedent; verum, ut omnibus probetur, numeros adducam, qui hodie in omnibus quaestionibus maximi fiunt. Ut autem recte eiusmodi intelligatur computatio, quaedam sunt animadvertisenda.

A computatione nostra excludantur primum ea omnia biblica argumenta, quae prophetam vel patriarcham exhibent veluti defuncti imaginem; Ionam videlicet, Danielem inter leones, paralyticum aliaque huiuscemodi; secundo vero omnes personae, quae nullo modo possint certo ac perspicue dignosci, uti sunt quidam

(1) « Respondens autem, dixit ei: Beatus es Simon Bar-Iona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est. Et ego dico tibi: Quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis (vv. 17-19) ».

prophetarum vel apostolorum iuxta Christum imagines, inter quas vel Petri haud raro adumbratio esse potest. Praeterea, ut facile suis unusquisque oculis rem inspicere ac recognoscere possit, ad fidelem monumentorum synopsim est recurrentum. *Artis Christianae historiae*, a Garrucci doctissimo scriptae, quintum igitur volumen eligatur, quod maximam huius monumentorum generis partem omniumque Christianarum regionum complectitur, atque iuxta illud computatio fiat.

Personae autem considerandae, praeter Christum, apostoli Petrus et Paulus mihi videntur, qui a ceteris apostolis facile distinguuntur, sive quia Christo propiores sunt, sive quia etiam soli sine apostolorum collegio effinguntur. Porro, in praefato Garrucci volume, omissis obseuriis representationibus, Christi imagines quadrigenitae et quadraginta sunt (1); Petri imagines ducentae duodecim, Paulique vero quadraginta septem.

Ut autem proportionis huius, respectu ceterarum personarum, conceptus habeatur, notare sufficit, Moysis imagines *triginta septem*, Ezechielis *quinque*, Danielis *undecim* (2), Eliae *sex* in praefato volume reperiri; denique collegium apostolorum ne trigesies quidem cerni. Neque dicendum est id Romae solummodo contigisse; nam Garrucci volume, circa sarcophagorum anaglypta, omnia complectitur monumenta, quae suo tempore cognita erant. Christiana igitur plebs, praeter Christum, beati Petri magis quam aliorum, et ipsius Pauli, memoriam coluit, eiusque apostoli imagine potissime sculptorum ingenia sunt afflata.

II.

Quaedam Petri ac Pauli communia.

Ut ipsa rei natura ferebat, communis Petri cum Paulo apostolatus in Romana Ecclesia instituenda gubernandaque fecit ut in quibusdam privilegiis consocii duo isti apostoli prorsus essent, idque praesertim in passio-

nibus quibus Magistro quodammodo compararentur. Hinc est quod Paulus a militibus deprehensus aliquando inveniatur, sive symmetrice cum Petro item a militibus deprehenso dispositus, sive non. Immo semel eius deprehensio atque martyrium cum capture Christi symmetrice opponitur; quod profecto quanta eius fama fuerit luculenter probat.

Aliud est insuper hoc in genere notandum, Paulum, haud secus atque Petrum, saepe ad latus Salvatoris

conspici, atque ab eo legationem accipientem Evangelii inter gentes propagandi.

Denique duo apostoli, veluti intercessores pro defunctis, sive in catacumbarum picturis, sive in sculptilibus, ubi animae imagini, orantis instar personae effectae, adsunt, delineati reperiuntur, praesertim vero in media anaglyptorum parte. Horum quidem nullus fuit in supra dicta computatione respectus sed ob lineamenta utriusque apostoli propria, haud est ambigendum quin ita fuerint saepissime ambo Romanorum apostoli repraesentati; saepius vero Petrus.

(*Ad proximum numerum*).

XYSTUS SCAGLIA O. C. R.

ACTA PONTIFICIA

De iureiurando conceptis verbis dando ab iis qui Doctores in Scriptura Sacra renunciandi sunt. — « Motu proprio » SSmi. dat. d. XXIX mens. Iunii MCMX candidati ad lauream, antequam Doctoris titulo in Sacra Scriptura donentur, certam iuramenti formulam recitare atque emittere iubentur, qua spondeant se « principia et decreta per Sedem Apostolicam et pontificiam Biblicam Commissionem edita vel edenda uti supremam studiorum normam et regulam fideliter, integre sincereque servaturum et inviolabiliter custoditurum, nec unquam sive in docendo sive quomodolibet verbis scriptisque eadem esse impugnaturum ».

— « Motu proprio » SSmi. dat. d. III Maii MCMX,

(1) Excipluntur imagines boni Pastoris, quae innumerae prorsus exstant.

(2) Agitur de Danielis effigie cibum mortiferum draconi porrigentis.



edit. d. xv men. Iulii e. a., Vicarius Castrensis constituitur in Reipublicae Cileneae exercitu.

— Per *Apostolicas litteras* dat. d. xxiv mens. Martii MCMX, edit. d. i mens. Iulii e. a., confirmantur nominatim veteres indulgentiae Piae Catholicae Mulierum Fuldensi Unioni a Missionibus nuncupatae, novaeque adiiciuntur cum facultate cognomines Associationes ubique aggregandi in perpetuum.

— Per *Apostolicas* pariter *litteras* dat. d. ix mens. Iunii MCMX, edit. d. xv mens. Iulii MCMX, laudatur Societas pro diffusione Catholicae Fidei Chicagine in Civitatibus Foederatis Americae Septemtrionalis instituta.

— Item per *Apostolicas Litteras* dat. d. x mens. Maii MCMX, edit. d. xxxi mens. Iulii MCMX, Vicariatus Apostolicus Ce-Kiam Occidentalis erigitur, hisce finibus conclusus: ad septem triones Vicariatus Kian-Nan et lacus T'hai-hou; ad occidentem Vicariatus Kiam Nan et Vicariatus Kiam Si orientalis; ad meridiem Vicariatus Ce-Kiam orientalis et Vicariatus Fokien; denique ad orientem Vicariatus Ce-Kiam orientalis et mare Sinicum orientale, vel potius sinus Ham-tchou. Eadem Missio ita terminata apostolicis curis concreditur Sacerdotum e Congregatione S. Vincentii a Paulo.

— Etiam per *Apostolicas Litteras* d. ix mens. Iunii MCMX ad R. P. D. Patritium Fergo Mac Evary, archiepiscopum Torontinum, missas, laudatur Associatione pro diffusione Ecclesiae Catholicae Toronti in dominio Canadensi constituta, indulgentiisque ditatur.

— Denique per *Apostolicas Litteras* in «Acta Apostolicae Sedis» d. xv mens. Augusti MCMX relatas:

a) Plenariae et partiales Indulgentiae conceduntur Fidelibus, qui Missae quotidianae Lugduni pro pauperibus defunctis cura Piae Unionis Crucifixi a venia celebrandae, vel in spiritu se sistant.

b) Plenariae et partiales Indulgentiae conceduntur Fidelibus Reipublicae Mexicanae centenario adeptae libertatis anniversario hoc anno recurrente.

c) Ecclesia Metropolitana Leopoliensis Latinorum titulo Basilicae Minoris decoratur.

d) Sacerdotibus inscriptis in recenter adiecta quarta sectione Pii Consortii sub titulo Deiparae Virginis Perdolentis, dioecesis Mediolanensis, privilegium Missarum conceditur.

e) Ecclesia Cathedralis Plocensis ad dignitatem Basilicae Minoris evehitur.

f) Piacularis perpetua Missa in universis Galliae ecclesiis uno e Novembbris mensis dominicis diebus celebranda instituitur, addita plenaria indulgentia.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Consistoriali.

De competentia concedendi facultatem acquirendi bona Ordinibus aut Congregationibus religiosis usurpata.

Sacra Congregatio Concilii, quum ipsi oblatae essent preces a Vicario Capitulari cuiusdam dioecesis circa emptionem aedificii Ordinis Regularis, cui a gubernio civili iamdudum ablatum fuerat, Sacrae Congregationi Consistoriali proposuit dubium « utrum, post Constitutionem *Sapienti Consilio*, spectet ad S. C. Concilii, vel potius ad S. C. de disciplina Religiosorum, facultas permittendi Christifidelibus, ut bona acquirant Ordinibus aut Congregationibus religiosis usurpata ». Re autem mature perpensa et praehabito consultorum voto, Emi. Patres respondendum censuerunt: « Spectare ad Sacram Congregationem Concilii ». (Ex decr. d. xiv mens. Martii MCMX).

De Societate Missionariorum Africæ, vulgo « Pères Blancs ».

Societas haec etiam post Constit. *Sapienti Consilio* subiecta manet S. Congregationi de Propaganda Fide. (Ex decr. d. xv mens. Martii MCMX).

Nova Apostolicae Cancellariae regula pro subscriptione Constitutionum Apostolicarum.

Constitutionibus huiusmodi in posterum una subscribent Cardinalis S. R. E. Cancellarius, et Cardinalis qui officio praeest, ad cuius competentiam res pertinet in eadem Constitutione pertractata. Duplex earumdem Constitutionum exemplar, alterum a Summo Pontifice, alterum a memoratis Patribus Cardinalibus subscriptum, in Apostolicae Cancellariae tabulario custodietur et servabitur. (Ex decr. d. xv mens. Apr. MCMX).

Regulae circa secretum servandum in designandis ad Sedes Episcopales apud Foederatas Civitates Americae Septemtrionalis, ubi leges de re vigent.

1. Convenientibus dioecesanis consultoribus et parochis qui ius habent suffragium ferendi pro prima candidatorum propositione, vulgo *terna*, ab initio sessionis omnes et singuli coram Praesule presidente iusiurandum dabunt de secreto servando circa nomina quae in discussionem veniunt, et circa ea quae ex maiore suffragiorum numero probata manent, ut Episcoporum iudicio subiificantur.

2. Si quis consultor, quod Deus avertat, iuramento desit, praeter alias poenas quibus obnoxius evadere potest, statim a consultoris officio removendus erit: si parochus, poena erit perpetua privatio iuris ad suffragium ferendum.

3. Episcopi ad idem secretum *sub gravi* obligantur: et ab initio sessionis in qua de candidatorum scrutinio agitur, Praeses de hac obligatione eos opportune admonebit.

4. Ad idem secretum *sub gravi* tenentur Apostolicae Delegationis administrari, iuxta iuramentum quod ab iisdem praestari solet; et ii quoque ad quos forte Ap-

stolicus Delegatus se diriget ut opportunas noticias de candidatis habeat; qua de re sive verbis, sive litteris aliquem interpellat, ipse tenetur de gravi hac obligatione interpellatum docere.

5. Exemplar huius decreti in singulis curiis episcopalis servetur, ut omni tempore singulis ad quos spectat norma et regula sit. (Ex deer. d. xxx mens. Martii MCMX).

Nova erectae dioeceses.

Decreto S. C. Consistorialis, SS. D. N. Pius PP. X erexit:

Die xi mens. Novembbris MCMIX. — Sedem episcopalem Natalensem (*Natal*) provinciae ecclesiasticae S. Salvatoris de Bahia in Statu reipublicae Brasilianae.

D. xv mens. Decembbris MCMIX. — Sedem episcopalem Aracayuensem (*Aracayù*) pariter provinciae ecclesiasticae S. Salvatoris de Bahia in statu reipublicae Brasilianae.

D. xxx mens. Decembbris MCMIX. — Sedes episcopales Crookstonensem (*Crookston*) et Bismarckensem (*Bismarck*) provinciae ecclesiasticae S. Pauli de Minnesota in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis.

D. xxi mens. Ianuarii MCMX. — Sedes episcopales Corrientensem (*Corrientes*) et de Catamarca provinciae ecclesiasticae Bonaërensis in republica Argentina.

D. iv mens. Martii MCMX. — Sedem episcopalem Reginatensem, provinciae ecclesiasticae S. Bonifacii in regione Canadensi; et Vicariatum Apostolicum de *Keevatin* in eadem provincia ecclesiastica S. Bonifacii.

D. x mens. Martii MCMX. — In metropolitanam evexit sedem episcopalem Cuiabensem (*Cuyabà*) eique suffraganeas constituit duas novas sedes episcopales S. Aloisii de Cáceres et Corumbensem (*Corumbà*) in statu *Matto Grosso* reipublicae Brasilianae.

D. x mens. Aprilis MCMX. — Erexit in Insulis Philippinis. quatuor novas sedes episcopales: Lipensem (*Lipa*), Calbayoganam (*Calbayog*), Tuguegaraoanam (*Tuguegaras*), Zamboangensem (*Zamboanga*) et novam praefecturam apostolicam Palawanam, easque suffraganeas constituit metropolitanae ecclesiae Manilanae.

D. xv mens. Aprilis MCMX. — In Civitatibus Foederatis Americae Septemtr. erexit Sedem episcopalem Toletanam, provinciae ecclesiasticae Cincinnatensis.

D. xxiii mens. Maii MCMX. — Novas Praefecturas Apostolicas *Solimões Superioris* et *de Teffé*, quas dismembravit ab amplissima Amazonum dioecesi, in republica Brasiliana.

D. viii mens. Iunii MCMX. — Novam Abbatiam nullius S. Mariae Auxiliatrixis Belmontensis in vicariatu Apostolico Carolinae Septemtrionalis in Foederatis Americae Statibus.

D. vii mens. Iulii MCMX. — Sedem episcopalem Caliensem, provinciae ecclesiasticae Popayanensis in republica Columbiana.

De competentia circa taxas Curiarum Episcopali.

Proposito dubio: « Utrum post Const. *Sapienti Consilio* adhuc spectet ad S. C. Concilii adprobare taxas Curiarum Episcopali, nec non dirimere quaestiones omnes, quae ad eas referuntur; an vero haec facultas reservanda sit S. C. Consistoriali? », per deer. d. **xxi**

mens. Apr. MCMX responsum est: « Affirmative ad primam partem; negative ad secundam ».

Circa privilegium deferendi pileolum violacei coloris Episcopis concessum.

Episcopi absque speciali indulto uti possunt privilegio deferendi pileolum violacei coloris a die in qua a Summo Pontifice electi suut, quamvis consecrationem episcopalem nondum suscepint; idque dum sacris operantur, non tamen a Praefatione usque ad susceptum Corpus et Sanguinem Christi Domini, ac dum divinis officiis sacrisque ritibus intersunt. (Ex deer. d. ii mens. Maii MCMX).

Ex Congregatione Rituum.

Dubia soluta circa nonnullas in Ordine Praedicatorum consuetudines.

An fratres Ordinis Praedicatorum teneantur genuflectere coram Episcopo dioecesano, dum in eorum Ecclesiis assistit ad Sacras functiones? — *Resp.* Quum in ritu Ordinis Praedicatorum ministri et clerici inferiori non genuflectant ad Crucem, sed caput profunde inclinent, neque ad Episcopum dioecesanum in casu genuflectere debent.

II. An decretum S. R. C. n. 3874 *Meliten*. 30 Novembbris 1895, vi cuius iidem Fratres Ordinis Praedicatorum possunt in processionibus Crucifixi imaginem ad se conversam tenere, habeat locum etiam in processionibus in quibus intervenit Episcopus Dioecesanus? — *Resp.* Affirmative.

III. An liceat Praelatis Regularibus privilegium habentibus uti palmatoria, quando celebrant coram Episcopo dioecesano? — *Resp.* Affirmative, dummodo tamen Episcopus non assistat throno.

IV. An qui tenentur ad processiones Litaniarum, S. Marci videlicet et Rogationum, possint, processione peracta, relinquere Ecclesiam: vel debeat exspectare donec celebrans preces post Litanias dicendas concludat? — *Resp.* Negative ad primam partem; affirmative ad secundam, et consuetudinem contrariam esse eliminandam. — (Ex deer. d. ix mens. Aprilis MCMX).

Ex Congregatione de Sacramentis.

Dubia soluta circa Decretum de Sponsalibus et Matrimonio.

I. Quid intelligendum sit nomine « regionis », seu in qua distantia debeat versari contrahentes a loco in quo est sacerdos competens ad assistendum matrimonio, ut hoc possit valide et licite iniri coram solis testibus ad normam art. viii deer. « Ne temere ». — *Resp.* Matrimonium potest valide et licite contrahi coram solis testibus sine praesentia Sacerdotis competentis ad assistendum semper ac, elapsi iam mense, Sacerdos competens absque gravi incommodo haberi vel adiri nequeat.

II. Accidit non raro ut ob sacerdotum inopiam plures paroeciae ab uno tantum parochio regantur, qui easdem omnes singulis mensibus invisiere nequit. Sunt pariter quaedam ampliae paroeciae, vicos etiam cum sacello publico valde dissitos continentes, qui infra mensem,

tum ob viarum asperitatem, tum ob fluminum impetum lustrari a parocho nequeunt omnino, nec parochus a fidelibus adiri potest. Quaeeritur: *a)* Possintne fideles paroeciarum in primo casu, elapo mense quin parochus adveniret, valide ac licite matrimonium contrahere coram duobus testibus tantum, iuxta art. VIII; *b)* Quilibet vicus in secundo caso possitne tamquam « regio » haberi, ita ut ibi degentes facultate praefati art. VIII uti valeant. — *Resp.* Provisum in primo.

III. Utrum valide matrimonium coram solis testibus ineat qui in « regionem », de qua art. VIII in *fraudem legis* se conferat. — *Resp.* Affirmative.

IV. An possint adhiberi ut testes mali christiani atque adeo pagani in ordine ad observandas praescriptiones art. II, III, VII et VIII — *Resp.* Quoad qualitates testium a decreto « *Ne temere* » nihil esse immutatum.

V. Quoad menstruam commorationem et vagos quaeritur: *a)* Utrum commoratio menstrua, de qua in art. V, § 2, sit accipienda *sensu relativo*, i. e., quoad eos qui alibi habent domicilium aut quasi-domicilium, an *sensu absoluto*, seu quoad illos qui nullibi praedictum domicilium aut quasi domicilium habent; *b)* Utrum parochus vel Ordinarius proprius, de quo eodem art. V, § 3, sit parochus vel Ordinarius commorationis menstruae sensu absoluto acceptae; *c)* Utrum nomine vagorum, de quibus art. V, § 4, ii omnes veniant qui destituuntur domicilio et quasi-domicilio, an ii tantum qui, domicilio et quasi-domicilio destituti, praeterea nullibi habent parochum vel Ordinarium commoratione saltem menstrua acquisitum. — *Resp.* ad *a* et *b*. Provisum per responsum ad V datum a S. C. Concilii die XXVIII mens. Martii MCMVIII. (1) Ad *c*): Nomine vagorum, de quibus art. V, § 4, veniunt omnes et soli qui nullibi habent parochum vel Ordinarium proprium ratione domicilii vel menstruae commorationis.

VI. Accidit ut parochorum coadiutores ab Episcopis nominentur, et quidem ex iure particulari facultate assistendi coniugiis non sint instructi; tamen usuvenit ut, ab incepto officii exercitio, parochis non contradicentibus, sed irrequisita eorum licentia matrimoniis adsistant, in libris etiam matrimoniorum adhibentes solam sui ipsorum subscriptionem; imo praesertim in maioribus paroeciis semper vel fere semper matrimoniis adsistant. Quaeeritur in casu: *a)* An matrimonia coram coadiutoribus hucusque inita, tacentibus parochis, sint valida; *b)* Quatenus affirmative, an licite coadiutores se gerant in assistentia connubiis praestanda ab incepto officii exercitio, absque expressa parochorum delegatione; *c)* Utrum tolerari possit mos ut coadiutores omnibus vel fere omnibus matrimoniis in paroecia adsistant, an potius parochi urgeri debeant ad hanc adsistentiam ut plurimum et ordinarie per seipsos explendam, nisi legitima et gravi causa, onerata ipsorum conscientia, impediti fuerint, quo in casu deputationem coadiutoribus conferant et ita solitis verbis connubia in libris matrimoniorum describantur. — *Resp.* ad *a*: Acquiescant, facto verbo cum SSmo; ad *b*: Serventur de iure servanda; ad *c*: Quoad assistentiam matrimoniis a parochis personaliter praestandam Archiepisco-

pus pro suo iure urgeat si quae sunt de ea re leges Concilii Provincialis. Quoad descriptionem matrimonii celebrati servetur art. IX Decreti « *Ne temere* » et praescriptum Ritualis Romani.

VII. Utrum per art. I decreti maneat abrogatum ius speciale ante illud decretum in Hispania vigens, et ad Americam Latinam extensem, vi eius ad valorem sponsalium requirebatur scriptura publica a notario subscripta. — *Resp.* Affirmative.

VIII. Utrum Ecclesiae regulares exemptae ad tenorem decreti existimari possint et valeant tamquam territorium parochi seu Ordinarii, in quorum territoriali districtu sunt sitae, ad effectum adsistentiae matrimonii. — *Resp.* Affirmative.

IX. An et quomodo annuendum sit petitionibus quorundam Ordinariorum, nimirum: 1º Episcopi Rosensis postulantis dispensationem ab obligatione imposta per art. IX, § 2 adnotandi in libro baptizatorum coniuges tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse; 2º Vicarii Apostolici Kiam-Si Orientalis postulantis dispensationem non solum ab obbligatione adnotandi matrimonium contractum in libro baptizatorum, sed etiam in libro matrimoniorum; 3º quorundam Ordinariorum Sinensium qui quaerunt: Utrum responsum S. C. C. diei 27 Iulii 1908, ad VII, restringatur ad solos duos casus tune in quaesito proposito; et, quatenus affirmative, postulant ut responsum extendatur ad alios casus verae necessitatis; 4º Episcopi Mangalorensis qui postulat ut sibi facultas detur permittendi ut matrimonium celebratum in libro matrimoniorum describi possit a Sacerdote qui ex delegatione parochi matrimonio adsistit, quando parochus sit absens. — *Resp.* ad 1º: Non expedire et ad mentem. Mens est, ut Ordinarius aliquique ipsius cooperatores, quantum in Domino possunt, satagant illam perniciosa superstitionem ab animis fidelium avertere, qua ab usurpandis sanctorum nominibus in baptismō susceptis deterrentur. Doceant ipsos frequenter, idcirco nomina eis imponi Sanctorum, ut eorum exemplis ad pie vivendum excitentur et patrocinis protegantur. Parochis vero aliisque animarum curae praepositis sacerdotibus commendent, ut quamdiu illa perniciosa superstitione eradicari non possit, omni, qua valeant, diligentia libros parochiales conserbant, etiam adhibita opera aliorum, quorum industria ea in re iuvari posse credant. Quodsi in casu particulari verum nomen coniugati scire non poterunt, stante morali impossibilitate legem observandi, ea non obligantur. — *Resp.* ad 2º: Non expedire quoad utrumque et ad mentem. Mens est, Ordinarios curare debere, ut a Missionariis regesta celebratorum matrimoniorum diligenter confiantur et conserventur, eisque pro suo prudenti arbitrio praescribere cautiones ad vitanda incommoda exposita, adhibitis etiam, si opus fuerit, signis conventionalibus. — *Ad 3º:* Quoad primum, negative; quoad secundum, provisum in primo. — *Ad 4º:* Pro gratia prudenti arbitrio et conscientiae Episcopi. — (Ex decr. d. XIII mens. Martii MCMX).

Homo non sibi se soli natum meminerit, sed patriae, sed suis.

CIC., De fin., II, 14.

(1) Cfr. Vox Urbis an. XI, n. V, pag. 57.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Augusto MCMX).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites, aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Manus peregrinorum a Septentrionali America ab illo, et revmo. dno. Augustino Van der Vyver, episcopo Richmondiensi, coram adducta; Lagoaca, Comes, Lusitanorum negotiorum gestor apud Apostolicam Sedem; legatio Americanae Societatis, cui « Equites a Columbo » nomen.

Pontificiae electiones.

Illmus. et revmus. dñs. Stephanus Reville, episcopus Sandhurstensis, inter episcopos pontificio solo adstantes refertur.

— R. p. d. Aloisius Boschi, episcopus Ripanus, Delegatus Apostolicus mittitur dioecesis Montis Altii, durante infirmitate illius episcopi et ad nutum S. Sedis.

— R. p. d. Paulus Aemilius Bergamaschi, episcopus cathedr. eccl. Troianae, in archiepiscopum tit. eccl. Areopolitanae promovetur.

— R. d. Iosephus Chartrand, rector cathedr. ecclesiae Indianopolitanae ibique vicarius generalis episcopi, episcopus tit. eccl. Flaviadensis creatur, cum deputatione Coadjutoris cum futura successione r. p. d. Francisci Silas Chatard, episcopi Indianopolitani.

Varia.

Die IX mens. Augusti MCMX in Xystino Sacello, adstante Pio X P. M., solennia peraguntur, octavo ineunte anno ab ipsis Pontificis coronatione.

ANNALES**Novum inter Balkanicos populos regnum constitutum.**

Die XXVIII elapsi mensis Augusti, deposita omni cuiusque generis concertatione, Balkanici populi novum intra suos fines regnum, maxima cum laetitia, salutarunt. Et iure quidem; si enim magnis conatibus magna praemia proponuntur, diadema quo Nicolai, Nigri Montis Principis, caput redimitum est, honestissimum virtutis pretium proculdubio habendum est. Nicolaus enim, Danilo regi patruo suo, nefarie interempto die XIII mens. Augusti MDCCCLX, suffectus, per annos quinquaginta talem initio militem pro patria in libertatem vindicanda, ac deinde, communem gentis sua desiderium consequitus, tam sagacem politicum se praebuit, ut antiquam Tcherna-Gorae gloriam renovaverit, novorum temporum eam cum humanitate apte coniunxerit, sibique et novo nunc regno aestimacionem ac fidem ceterarum Europae gentium conciliaverit. Nil mirum igitur, quod ne vox una quidem festi diei sollemnibus discors intercesserit, omnium-

que plausus facile fuerit ingeminatus. Quod felix, bonum faustumque siet!

**

Austrorum Hungarorumque gaudium.

In proximo quoque Austrorum Hungarorumque imperio gaudii dies transacti sunt ob adeptos feli-citer a Francisco Iosepho Caesare aetatis annos octoginta. Quamquam, ipsius augusti senis desiderio, non publice festum celebratum fuit, sed intimius hinc, inde in pauperum solamen, ad quos pecunia omnis delata est pro publicis sollemnibus congesta. Id tamen non prohibuit, quominus omnes populorum rectores Teutonum populorum laetitiae participes fieri voluerint, in primisque Gulielmus, Germanorum Imperator, qui Francisco Iosepho libere propinans, eum potentem Europaeae pacis factorem salutavit.

**

Cretensis quaestio.

Appropinquantibus Graecorum comitiis, ad coetum « constituentem » eligendum, ne quies inopportunitis motibus turbaretur, Rhallis, Theotokis atque Venizelos, qui inter maximos civiles Graecorum viros adnumerantur, convenerant, ut quivis Cretensis candidatus excluderetur. Habitum tamen comitiis, Athenis atque in omni Attica populi scito popularis factionis viri necopinato electi sunt; ante omnes ipse Venizelos, qui Cretensi, quem aiunt, actuoso comitatui praeest, et ad gubernium, uti par erit, vocatus, non facile praeteritis civilibus actibus suis contradicere poterit, qui proxime praeteritorum eventuum non ultimam partem consti-tuerunt. Novae igitur rerum complexiones ad horizontem eluent.

**

Ex Iaponia.

Quod iamdiu prospiciebatur, effectum tandem est: Iaponia Coreanam peninsulam suo imperio placide atque secure addixit, abdicanti regi nomine ac dotis donatione relictis.

**

In inferiore America.

Dum Cilensis civitas Petrum Montt praesidem suum, virum prudentem et civilis artis peritum, vita functum deflet, et Argentinensis Saenz Pena, Reipublicae oras attingenti, plaudit, ex Nicaragua nunciatur Madrizius, vix ad summum imperium delatus, a rebellibus civibus acriter fuisse impe-titus atque in fugam versus. Et sic itur ad astra!

PER ORBEM

Die I mens. Augusti, Noti, in oppido Siciliae insulae, moritur Iosephus Cassone, Siculorum poeta popularis.

— d. III Tolonae, navis ex eorum genere quibus a torpedine nomen, machina incenditur, unde classiarii plures atrocia vulnera reportant.

— d. IV Stockel in urbe, Nicolaus Kinet, qui de aviatione magnos triumphos retulerat, cum velivolo suo in terram praecepit, misereque confringitur.

Mutinae vita fungitur Franciscus Ghiaroni, philanthropus insignis.

— d. VI Stocolmae anno de pace internationali conventui finis imponitur.

— d. XI centenaria dies a quo Camillus Benso, Comes a Cavour, maximus Italorum politicus, natus est, per Itiam omnem sollemni ritu commemoratur.

— d. XIII ex Iaponia nunciantur inundationes magna damna civibus procurasse: oppida eversa, Tokioque in urbe triginta domorum millia aquis submersa.

— d. XIV Bruxellis in omnium artium internationali exhibitione incendium, qua de causa obortum ignoratur, brevi tempore late diffunditur, tentoriaque a Belgica, Anglia et Gallia statuta fere omnino in cinerem vertuntur.

— d. XVI Romae, Adulfus Cozza, Comes, pictor atque artis criticus valde probabilis, improviso fato occumbit.

Bremae, quam urbem valetudinis suae restituendae causa petiverat, Petrus Montt, Cilenae Republicae praeses, morte aufertur.

— d. XVII Americanus aviator Moisant Ambiano profectus, Britannicum mare transit atque ad Doverium appellit.

In Apulia *colera* morbus diffunditur.

— d. XIX polaris expeditio, cui Mikelsen praestet, Aalesund tenet.

— d. XX. Stabiae, nova Italorum loricata navis, cui a Dante Aligherio nomen, sollemniter ac feliciter in mare immittitur.

Prima Italicae aviationis victima, Hugolinus Vivaldi Pasqua tribunus militum lugetur, cum aëronavi sua ad Romam collapsus.

— d. XXVIII, Cettinje in urbe Nigri Montis capite, Nicolaus princeps, adstantibus Italorum et Bulgariae regibus, plurimumque Europaearum nationum legatis, rex dicitur atque coronatur.

Sancti Terentii in oppido Liguriae novem et septuaginta annos natus obit Paulus Mantegazza, physiologus notissimus.

— d. XXX novis terrae motibus Calabriae Siculaeque circa Messanam terrae agitantur,

LIBRORUM RECENSIO

MONS. G. BONOMELLI, Vescovo di Cremona. — *Questioni morali del giorno.* (Romae, Desclée 1910).

Hoc titulo doctissimus Antistes Cremonensis epistolas suas Pastoriales annorum nuper praeteritorum denuo edidit, quibus argumenta gravissima dilucide et diserte tractantur. Longe distans ab omni maleficio modernismo, auctor ante omnia illud axioma quorundam recentiorum confutat, quod tenet, non solum omnia quae sunt in mundo materialia et spiritualia perpetuo esse in fluxu et necessarie cuidam subdi evolutioni, sed etiam animos hominum ipsamque humanam societatem huic fluxui et evolutioni quasi fataliter subiacere. Qua futili sententia materialistica et fatalistica reiecta, maximae et gravissimae res et conditiones generis humani expenduntur et iudicantur summa quidem moderatione erga errantes bona fide, sed severissima iustitia contra errores.

Quattuor voluminibus illae quaestiones, quae maxime hodieum animos hominum occupant et commovent, dilucido sermone et solidis argumentis orthodoxae fidei consentaneis disseruntur. Hoc primo, quod nobis sub manibus est, volumine Pastor Cremonensis gravibus rationibus demonstrat, *scholam* quam vulgo vocant *laicam* seu *neutram* practice existere non posse, sed revera esse fidei et Ecclesiae hostilem. Dein victoriose ostendit, quam perniciosa sit amentia, quae quibusdam in locis et ordinibus grassatur, nefarium dico scelus *suicidii*. Postremo vera principia *familiae christiana* proponit, eiusque destructionem i. e. *divortium* tanquam detestandam et pessimam pestem societatis humanae severissime condemnat.

Sunt quidem principia philosophica et moralia iam antiquis nota et probata, quae hic proponuntur; sed nova quadam veste induita, circa dictionem nostris omnino temporibus atque hominibus non tam doctis quam non omnino incultis et viris mediocreter instrutis mire accomodata. Nam praeter iustum principiorum rationem et sententiarum luciditatem etiam nitor stili ornatusque orationis et argumentationis cum utilitate etiam iucunditatem legentibus parat, ut non dubitemus, quin hoc opus optimi cuiusque laus et approbatio sequatur et etiam uberrimus inde non desit fructus.

P. FRIDOLINUS.

PROF. AUGUSTO GARNERI — *Corso elementare di disegno geometrico.* - 3 vol. - (Augustae Taurinorum et Romae ediderunt Paravia et Socii, 1910).

Cursus hie delineationis geometricae, vel geometriae descriptivae, methodica via et ratione ab elementis facilioribus ad difficiliora procedit; lucidus ordo et optima exempla totum opus maxime ad docendum idoneum reddunt, et praeclara praecepta optimis imaginibus illustrantur. Quodsi quid adhuc desiderare licet, delineationem projectivam aliquanto fusius tractatam optem; contra, auctor delineationem technicam tractans omne tulit punctum. Ceterum quam egregium sit huiusmodi opusculum, hoc optime testatur, quod volumen primum iam duas supra viginti editiones habuerit, vol. II. et III. iam sexies fuerint publicata.

P. VICTOR.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venumdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.

P. ALESSIO MARIA LÉPICIER O. S. M. *L'Immacolata Madre di Dio corredentrice del genere umano.* — Editio altera ab auctore aucta. — Romae edid. Desclée et Socii, 1910. (Ven. lib. 1,50).

L. C. L. FILLION. *S. Pietro.* — Indidem. (Ven. lib. 2).

Mons. GEREMIA BONOMELLI. *La questione sociale è questione morale.* — Indidem. (Ven. lib. 0,75).

ID. *Gli scioperi — Una parola amica a tutti gli operai con un'appendice sull'Agro Romano.* — Indidem. (Ven. lib. 0,75).

ID. *Capitale e lavoro.* — Indidem. (Ven. lib. 0,75).

Almanacco delle Famiglie Cattoliche per l'anno 1911.

— Indidem. (Ven. lib. 0,50).

IOCII.

Poeta rufus idemque vana sui fiducia elatus, animum adiecerat ad fabulas scribendas, quae sicubi darentur, licet omnibus fere irrisui essent, ipsi tamen eiusmodi videbantur, quarum non poenitusset Alfierium. Non noscens igitur quantum distent aera lupinis, pergebat de se lusus praebere. Ad tantam autem stultitiam cumulus accessit his verbis, in coetu hominum doctissimorum ab illo, inieco de arte scenica sermone, prolatis: « Orestem fabulam quam doceret Euripides, primos tres versus revocavisse dicitur Socrates; meos, viri amplissimi, et eos quidem multos, tota cavea vel sibilis revocat. At quaeret quispiam: — Cur sibilis? — quo facilius, si quem actorum pigeat morem pertinentibus gerere, is ad id illata vi compellatur ». Postquam poeta dicendi finem fecit, vetulus festivissimus sic loquutus est: « Longe alia mihi mens fuit compluribus abhinc annis, quam iisdem voluntatis significationibus actores eiusdem fabulae meae a cavea iussi sunt unum aut alterum locum iterare; tunc enim ego, qui persuasum haberem tantum abesse, ut opus meum spectatoribus probaretur, ut etiam vellenit productoribus sibilis scriptori ad satietatem illudere; paene corrui, nullaque interiecta mora, abii, excessi, evasi, erupi, nec unquam theatrum revisi. Ceterum, — ad poëtam gloriosum conversus, — uter nostrum rectius de sibilis sentiat, horum, qui adstant, sit iudicium ». Vetulus a cunctis, in risum effusis, optimus sibilorum interpres habetur.

TITUS CURZIUS.

**

In anum vinosam.

Quaedam anus exitium vini cum aliquando doleret,
Divino fecit talia vota Iovi:
« Si Phlegetontiacae ardorem vitavero febris,
In centum soles ros mihi potus erit ».
Postquam autem evasit morbi superabile fatum,
Luce eadem tales est fabricata dolos.
Arripiuit cribrum pertusum et vidit aperte
Tot soles quot erat pollicitata Iovi.

(N. N.).

Lurco senex.

Olim quaerebam noto a lurcone quot annos

Natus erat, quoniam certum erat esse senem.

Respondens: — « Annū solum sum natus; at annus

Hic iam multoties est iteratus » — ait.

(LEOD. QUERCULUS).

**

In malum poetam.

Dum canit Eurydicen, silvaeque et saxa sequuntur,

Et tenet immanes Thracius ipse feras.

At tu cum horrisonis silvas concentibus imples,

Attonitae fugiunt in sua lustra ferae.

(BELLARIUS).

EPISTOLARUM COMMERCII

Cl. v. IOSEPHO W....., *Varsaviae Polonorum.* — Costaginii facultatem quam ab eo petiisti, libentissime tibi tribuit.

Cl. v. THEO. T. CH..., *Chicagine.* — Excerpta, quae tibi in votis erant, exequi nequivimus; quum enim litterae tuae de re ad nos pervenerunt, primi articuli typi iam dissoluti fuerant.

A SECRETIS.

AENIGMATA

I.

Sume duas voces: timidam notat una vagamque

Bestiolam, murmur quam fugat exiguum.

Altera vox ordo est, mortali non violandus,

Qui multat sontes, innocuosque tegit.

Primae retrorsum versae, subiunge secundam:

Quo conclave tuum condecoretur habes.

II.

Feminei princeps sexus ego glorior esse.

Nomen verte meum... Iam valedico tibi.

F. P.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem JOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

POETARUM LATINORUM EGLOGAE

(Edid. BRANDT Lipsiae ex off. Teubneriana).

Aenigmata an. XIII, n. VI proposita his respondent:

1) Gallina; 2) Populus.

Ea rite soluta miserunt:

Guil. Schenz, *Ratisbona.* — R. Richi, *Traianopoli.* — Alb. Kain, *Dublino.* — I. Ortiz, *Morelia.* — Iac. Menendez, *Madrito.* — F. Arnori, *Mediolano.* — Carm. Ilinczky, *Cracovia.* — Fr. Guerra, *Aletio.* — F. X. N., *Drepano.* — A. Bounin, *Aureliano.* — Petrus Tergestinus. — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — F. Correa, *Emerita.* — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio.* — H. Forgeot, *Nicaea ad Varum.*

Sortitus est praemium:

HERNESTUS FORGEOT,

ad quem missum est opus, cui titulus:

THOMAE VALLAURI

DE RE EPIGRAPHICA

ACROASIS

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina Societatis Romanae Editricis.

ARRAE GORGONIAE

(Cfr. num. VII).

— Quos vidisti, quot vidisti hostes — rogavit Caecilius extemp'o — quum heic prima nocte iter faceres?

— Nullum vidi, imperator; at sagittas in me coniectas, ut dixi, multas sensi, quarum ex altera equum necatum rettuli.

— Eequomodo iam — ad quemdam conversus, qui ad laevam equitabat, subdit Caecilius — eequomodo tu, Cossa, tuique equites nullum, praeeuntes, vidistis?

— Nullum vidimus, nihil audivimus, neque sagittae stridor ullibi deprehensus est. Ceterum ipsi Germani, qui praeiverant omnibus, si aliter res esset, nunciantes rediissent: atqui nemo redit.....

— Nemo; ita est; nemo redit!... — fremens legatus ac veluti vix iram contineret, gladii capulum pugno percutiens, — Nemo! At, mehercle, peiore auspicio nunquam iniissemus iter, quam gorgoniis illis donis a te nuncio delatis.

— Et insanientes potius Apollinis fato — ita Cossa ille praefectus alae subridens — qui tam mali ominis concii, nec Martem nec Mercurium expiavimus.

Tum legatus: — Victima si Mars eget, caput hoc meum libens ei sacro, dummodo legionibus parcat. Quas enim Varo, quas Caesari copias reddam?

— Lugubria desine auspicari, — haec alius ex comitatu, iuvenis admodum tribunus. — Suspice potius: acta iam nox est, atque demirare, quam lucidi primi aurorae rubores caelum incendant ».

— Acta iam nox? — ita Cossa vicissim — ecquo modo igitur quum nec duabus adhuc horis me equitasse dixerim?

Sed lux splendebat reapse: post iuga, post montem rubescens lata caeli zona, illustrabat aerem; pallescebat stellae non tam vivo eius lumine, quam et subfusca etiam nube, cuius caligine obvolvolutus lucis ortus videbatur. Insolitum tamen erat lucem non ex ea caeli parte diffundi, unde, si acti illue usque itineris bene Atilius recordabatur, solem oriri oportebat. Haec dum haerenti animo ille cogitat, dumque comitatus ducis pariter incertus demiratur, fusca illa nubes paullatim succrescit, nigricat magis magisque, atra denique fit, ventoque crescente inflata caeli magnam plagam opperit. Addebat his et augebatur pariter strepitus quidam longinquus sane, sed ingens, sed vastus, veluti immensi cuiusdam rogi, qui paullatim comburentibus lignis undique crepitaret. Hoc sensim aucto atque magis magisque insonante, attoniti aliis alium legatus, tribuni, magistri alarum conspexerunt invicem, eamdemque omnibus esse suspicionem compererunt.

Nulla mora: calcaribus admotis in cursum equos inicitant; Atilius turmam tribunorum per media velutum agmina sequitur. Velites eodem visu et ipsi commoti, atque de insolita re attoniti saxosam vallem post praecurrentes calcant citissimo pede, dum omnes ventus afflat densus magis, caliginem olens et incendium.

Equites tandem primi per devium iter dextrorum

conversi in vallis fauces simul proruperunt, atque repente hirtis crinibus, erectis auribus ipsi equi frementes constitere.

Immanis rogus locum implebat omnem tam latus, vastus et horridus, ad quem nec Vulcanus ipse accedere auderet. Silva omnis, qua planities late densa erat, igneus veluti locus facta; arborum trunci cudentes quasi carbones immenso in elibano videbantur, ex adustis ramis ex multitudine frondium strepentes, crepitantes, prosilientes simul in cinerem favillae sine numero per altissimas flamas eructabantur; flammae autem, quas neque Trojanum incendium aequasset, linguis infinitis vibrabant, easque supra circumque atra atque tetrorema fumi nubes obvolvebat undique.

Dum duces et primi milites obstupescentes horridum prodigium contemplantur, concurrebant interea seseque ad ostium vallis nova semper agmina stipabant, vastumque incendium mille iam vultus rubore novo pingebat favoris plenos atque irae. At nulla audacia nullaque amentia quemquam iuvaret; transire enim per inmanem rogam vivus poterat nemo.

— Proditor adest!... Barbarorum insidiae sunt!... Nulla salus!...

Haec clamabant certatim milites, qui, nocturna quiete expergefacti, asperrimoque itinere fatigati, hue tandem pervenerant, ut sese in ignem darent. Incendiis enim nullus adspiciebatur terminus; nam, post primos truncos in limine silvae iam absumptos atque prostratos, alias aliasque, veluti densissimas faces, per rubram latamque fornacem vix oculus intueri poterat, qui tantum splendorem sustineret.

Caecilius tandem inter ruborem magnum, insignis purpurea crista, rubraque magis chlamyde, equum ad suos vertit, hisque brevi adloquutus est:

— Varus legatus Caesaris, milites, misso prima nocte nuncio, imperavit ut ad se quam citissime regredemur. Barbari, calliditate aut proditione, consciit itineris fuerunt. Nulla modo salus, nisi viam retrorsum petere, atque in apertum instructo agmine exire.

Ululatus ingens clamantium, obsecrantium, legato respondit: attollentes hastas, scutaque vibrantes, Germanis equitibus, adversae fortunae, ipsisque ducibus milites imprecabantur.

Fatale tamen tempus urget: laxatis igitur turbatisque ordinibus, coecus veluti fluctus, omnes retrorsum cucurrere. Discurrerant medium per turbam centuriones prohibentes tumultum, ac satagentes ut, quantum licet, ordines servarentur. Hoc modo exercitus omnis per contrarium iter progrediebatur, ac nisi concitati gressus equitum peditumque late sonarent per aspera montium, diuturnum properantium agmen umbrarum aut spectrorum fuga, visum esset.

(Ad proximum numerum).

I. A. COSTAGGINI.